

tutum imitantur, qui veritati obtemperant, qui salutem non contemnunt, & sic per hoc quod fuit occasio passiva & accepta ruinæ & mortis, obstinatis, per hoc idem hominibus bonæ voluntatis causa extitit vitæ & salutis. III. de Christi bono & imitando exemplo: est enim nobis positus in signum tripliciter, videlicet in signum reconciliationis per incarnationem, in signum reuocationis & reditus ad cælum per predicationem; in signum curationis per suam passionem. IV. & vltimò de contradicentibus ipsi Christo, tresque enumerat superbos, qui ipsius virtuti contradixerunt; falsiloquos & blasphemos qui ipsius veritatem, per impositionem mendacem impugnaverunt; calumniatores, qui de ipso perperam loquuti sunt, & eius bonitati insultarunt. *Tom. 3. serm. Domini pag. 25. 26. 27.*

Eiusdem, sermo secundus, vnde supra. I. quatuor Christi signa refert. signum castitatis in conceptione, humilitatis in conuersatione, charitatis in passione, immortalitatis in resurrectione. II. quatuor alia diaboli signa, signis Christi contradicentia notat, videlicet luxuriæ, superbiam, inuidiam, & vanæ lætitiæ, quæ omnia probat auctoritatibus scripturæ. *Ibid. pag. 27. col. 2.*

Eiusdem, sermo tertius in illud, *Tuam ipsius animam pertransibit, &c.* de quatuor gladijs animam pertransuentibus disserit, nimirum de gladio diabolicæ tentationis, Euangelicæ prædicationis, tyrannicæ persecutionis, & extremæ animaduersionis. *Ibid. pag. 28. col. 1.*

Eiusdem, sermo quartus in illud, *Puer autem crescebat, &c.* ostendit Christum rectè dici puerum, sicut enim pueri solent libenter esse cum matre, cum pueris, cum floribus, & cum brachijs: sic Christus Dominus delectatur in matris Ecclesiæ felicitate, in puerorum per innocentiam sodalitate, in florum virtutum venustate, & in brachiorum operum charitate. *Ibid. pag. 28. col. 2. & pag. 29. col. 1.*

* DIONYSII CARTHUSIANI sermo in Apostolica verba Gal. cap. 4.

A *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Vbi duo tanguntur. Primum. Tempus aduentus & missionis Christi dici plenitudinem temporis, quia in eo Deus omnipotens charitatem, pietatem, & gratiam suam hominibus plenissimè demonstrauit, summæ charitatis opera fecit, & hominum corda plenitudine gratiæ ditare cepit; de plenitudine Christi omnes accepimus, in baptismo, 2. in Penitentia Sacramento, 3. in Eucharistiâ. Secundum. Patrem dedisse nobis vnigenitum & amantissimum filium suum in fratrem, faciendo nostræ naturæ participem & Virginis filium. *Serm. de temp. à fol. 34. pag. 2. ad fol. 35. pag. 2.*

B Eiusdem, in hodiernum Euang. sermo 1. per quem nos hortatur I. Vt dignè Deo viuamus id est Domino summo cum debita reuerentia deseruiamus, cum debita promptitudine obediamus, cum debita puritate adhareamus, & tamen nos seruos inuitiles & indignos reputemus. II. Vt miremur quòd filius Dei tanti nos æstimauit, tanta pro nostrâ salute fecit & pertulit, pro nostrâ redemptione homo factus est, in summa paupertate, obedientiâ, & humilitate vixit, mirabilia & magna in suâ vitâ fecit. *In sermonib. de temp. à fol. 37. pag. 2. ad fol. 38. pag. 1.*

Eiusdem, sermo 2. exhortatiuus ad Christi imitationem qui omnium virtutum fuit exemplar, sicut Patri se conformauit ita Dei præcepta obseruare debemus, inimicos amauit, male facientibus bona rependit, omnibus benè fecit; ita & nobis ista faciendâ. Christianis pijs, castis, humilibus, mansuetis, innocentibus & penitentibus Christus resurrexit quia illis magna gratiæ & salutis causa est: Impijs vero positus est in ruinam, vnde tales multo horribilius indicantur & condemnantur à Christo quam infideles. *Ex serm. de Temp. à fol. 38. pag. 1. ad fol. 39. pag. 1.*

I. GERSONII sermo exhortatiuus ad castitatem, hac die, in Euangelium habitus. I. notat castitatem tria habere hospitia secundum triplicem statum puritatis, in virginitate, in matrimo-